

## **Оссолінські колекції.**

**CD – диск виконано в рамках угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.**

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów. Zespół  
(fond) 103.

ARCHIWUM SAPIEHÓW Z KRASICZYNA

IX. REKOPISY I DRUKI.

637. Tropheum gloriae ex illustribus vitae exuriis illustrissimi domini Sapieha. Druk,  
Wilno 1631.

***STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE***

637. 1  
AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM  
D. LEONEM  
SAPIEHA  
PALATINVM VIL-  
NENSEM  
M. D. L. exercituum supremum Ducē.  
Capit. Mohilou. &c. &c.



Vixit Christophorus Nicolaus SAPIEHA  
Filius tuus Ill<sup>m</sup>e Dñe; in quo Sodalitas  
nostra Parthenica exemplum, Respub-  
lica spem proximam, COR amisisti LEO  
Pater. Quis dolori tuo legem dicet,  
quē iura adiuuant? Quippe filium <sup>a</sup> PER-  
SONAM, <sup>b</sup> VOCEM, & <sup>c</sup> CORPVS  
Patris iura dicunt. Filium amisisti, quem  
in personam, vocem, & vultum tuum natura & virtus  
finxerat; vt si in aliis frustra, in hoc filio rectē Euripides di-  
ceat, <sup>d</sup> ANIMVS Patris. Animus ergo tibi ereptus est,  
COR Paternæ mentis, & affectus sedem amisisti. Sed tan-  
to æquius doleas, quod dolorem tuum cum Republica di-  
uisisti, cui æquē ac tibi filius tuus, COR fuit.

Qui animi bonis, & Sapienciā cæteros mortales præstitere,  
<sup>e</sup> CORDA apud Romanos appellati. Quæ bona animi in  
Filio tuo Patria non suspexit? quam in illa ætate, insoli-  
tam Sapienciæ ac rationis vim, non amauit? quas voces o-  
bitus eius, Magnis (utriusq; gentis, vnius Reip) Patribus  
non extorsit? Regni Senator erat, qui ad primum de eius  
morte nuntium exclamuit, Potuimus in præmaturam ac  
felicem eius indolem intuentes illud effari

*Ostendent hunc terris fata, nec ultra  
Esse sinent.*

Ita in eo, motum illum animi celerem, fortem & acutam  
prudentiam, priuati laudabant, Tribunalia sequebantur,  
quibus illud inprimis quærebat, vt animos in sentiendo di-  
uersos sociaret, vt seclusis in decernendo PARTIBVS,

A

& auidis

<sup>a</sup> L. Cum scimus  
in fin: c. De A-  
gric: & cens:  
L. 11.

<sup>b</sup> Paragr: Et ve-  
ro de inutil: sti-  
pul:

<sup>c</sup> L. Fin. de impub:  
& alijs substit.

<sup>d</sup> Apud. Cal. l. 11.  
ant: lect. c 17

<sup>e</sup> Plin: l. 2 c. 31.

*M. D. L. exercituum supremum Ducē.  
Capit. Mohilou. &c. &c.*

& auidis consiliis, unus incorrupti iudicii vultus maneret; vt se potestas nocendi cohiberet: dispicerent omnes decreta, tardeq; & iuste id concederent, quod datum non adimeretur. Ita sæpe ab illius pondere totum tribunal librabatur, vbi sententiarum in æquum & bonum conspiratione, c̄ priuatorum ingeniis, Remp: faciebat. Tempestiuus ergo fuit quem Princeps præcipuis honoribus amaret, cuius optimis in Remp. studiis mirè congruebat.

*Cic: in Tuscu. n 17*

Multa ( vt solet ) affectus Popularium, iis qui in Repub. eminerent nomina indidit; in quibus Scipionem Nasicam, ob confessam ciuitati Sapientiam, COR CVLVM, Richardum Angliæ Principem, COR LEONIS, ob animi magnitudinem, appellauit. Vtramq; Scipionis ac Richardi laudem, qui eriperet, fuit Christ. Nicol: SAPIEHA, Filius tuus Ill<sup>m</sup>e Dñe: qui ob sapientiam, & excelsum bello animum, COR LEONIS, id est FVVM, au-  
diret. Animus belli ingens, luxus & quietis contemptor, quæsito diu prælio, cum se tempus dabat, à te frustra habitus, qui præferuidos ac viriles spiritus, senili prudentiâ temperabas, Leonis ritu, neglecto cultu, intecto capite, in agmine, in laboribus frequens adesse, nihil nisi sponte Patris incipere, laudem strenuis, solatium inualidis, exemplum omnibus, ostendere nitēbatur. Id enim vsu salubre, & autoritate melius, ex magnis, æui nostri Imperatoribus, didicerat. Castrorum verò, acierumq; artem inprimis tenebat, sed eruditas belli cogitationes, intra animum cōtinuit, dissimulato rei militaris intellectu, ex aliorum consiliis pendebat: si quid in publicum consulebatur, in tempore se facturum respondebat, vbi ver ætatis adoleuisset. Nimirum in Rep: sermonum auida, actionum, consiliorumq; naturam, ex virtutis gustu explorabat. Non supercilium erexit, non se æstimauit, non extulit; nunquam TE PATREM vlli minatus est: nemo potentiam eius, omnes humanitatem sensere. Tacito itaq; virtutum passu, in gloriam ibat, vt famam moraretur; sæpe vel ipsis castris, in faciem pacis viuebat, vbi tametsi omnia in eum studia prompta erant, nunquam famæ seruiuit, quæ in nouis captis, validissima est; videbaturq; locus ad spem Reip. implendam patefactus; cum in magnarum cogitationum impetu, morte substitit, admodum inuenis, & fortunæ, in quam alebatur capax: quem tibi in subsidium Imperii militaris, paraueras PATER.

Dignum erat COR LEONE Patre, ingentis animi, & constantis inter angustias mortis retinens; dignum cui hæ lacrymæ parentarent. Quid enim aliud generosus LEONIS oculus, quam COR fleret, cum quo in vita rectè consenserat? Id nimirū, vetus illa Academia docuit, a COR cum OCVLIS consentire. b Est piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, per quam euaporat dolor; c est quæ

*a Cic. l. 2 Acad.*

*Quest: n 22*

*b Amb: fun: Valen.*

*c Sen. ad Mart:*

2  
quædam & dolendi modestia, & lacrymæ quippè indices pietatis non illices sunt. Permite tibi Illū Dñe vt homo sis, neq; enim hæc, quam portas Persona, aut Imperium, aut doctrina, tollunt affectus.

Habuiſti Filium, hoc in maximis bonis pone, quod Reip: ſpem, quod cæleſti patriæ ciuem dediſti: vtendum tibi illo, non fruendum fuit; commodatum habuiſti, reddendus erat cum natura poſceret, quæ in eo, non tuam; & noſtram ſatiætatē ſecuta eſt, ſed legem ſuam, nec abiſſe putes, quem præmiſiſti. Suâ te vitâ ille fulciri cuperet, ceſſit ſuis, vt de eius annis Pater viueres.

Tu verò PATER (inquit) viue, & ſi tam obſequens es, vt hoc precari filio permittas, de meo, viue; ſi breuior voto tuo vixi, boni conſule. Volo interim ſolatia tua tibi oſtendere; reſpice Fratres meos, quibus ſaluus, fas tibi non eſt, accuſare mortem meam; in vtroq; habes, vnde vtriuſq; virtute dolecteris; fructe alterius Filij dignitate, alterius obſequio, vtriuſq; pietate. Noui Fratrum meorum intimos affectus, alter dignitate ſuâ ad ornamentum Patris vtitur, alter ſe ipſo, vt Reip: & tibi vacet. Bene vtrumq;, in auxilium, & oblectamentum tuum, ſtudia ſua, ac Reip: officia diſpoſuerunt, vt alter latus tuum domi, alter nomen colat. Certabunt in te officiis, & vnus deſiderium, duorum pietate ſupplebitur, vt nihil de me deſideres præter numerum.

A deſiderio mei te vindica, ne plus apud te vnus dolor, quam totius Patriæ ſolatia poſſe videantur, in hac vna, tibi ſatis præſidii, ſatis ſolatii eſt. Legem ſtatue animo:

*Neminem flebo latum.*

Indue Parentum Optime, diſſimilem animo tuo vultum, eum te domi præſta, qualem militia Magnum Ducem agnouit; cum rebus affectis, hilaritatem de industria accipiebas, aduerſas res, adumbratâ lætitiâ abſcondebas, nullus fractam ſui Ducis mentem vnquam adſpexit; cum ſe Leone Duce, exercitus militare meminifſet. Circumſtat te iſta conſolantium corona, proijce ex toto dolorem, ne plus in te dolor, quam hoſtis poſſit. Si COR LEONI Patri Filius viuus fui, COR affectus ſedem morte depoſuiſti, affectum depone.

Plin. l. 11. c. 87



ODE

Non esse deplorandum illum, qui in  
mente Reipublicæ, ac moribus suis  
viuit.

**F**Rustra iacentem flebimus indolem,  
Jam se **BEATIS** addidit hospitem.

**SAPIEN**TIAM, maturumq; dulci  
Præripuit senium iuuentæ.

Vester **BEATI**, uester in ætheris

Euasit aulam; viuere pulchrius

Incepit, Oratorq; Cælo

Pro Patria stetit, elocutus

Gratum **TONANTI** carmen, & annuum

Responsa Votis, scilicet vititur

Calis, & incedit per astra,

Depositum specularis orbem.

Hinc nescientem, spectat amabili

Vultu **PARENTE**M. Nos quid inuites

Moramur umbras, & futura

Tristitia comitem cupressum.

Cedent sereno funere nenia,

Luctusq; cedent; nomen in ultimas

Exibit oras, nec sepulchri

Arbitrium patietur, inter-

-minata Virtus, nulla silentio

Descendet ætas; dicet ut integer

**SAPIEN**TIAM vixit; se iuuentæ

Eripuit; volucrisq; fati

Præuertit alas; nempe volentibus

Consensit astris, cui Sicula dapes,

Morum elaborabant saporem,

Et medijs latuere verbis

Fauis fluentes. Mentis, & ingenii,

Benigna doctis vena laboribus;

Accipio

Accepit insignes & imos  
 Pectus amicitijs apertum.  
 Mores quieto supposuit iugo,  
 Morem nec ulli flagitio gerit  
 Curasque mortales, & omnem  
 Præterijt sine labe culpam.  
 Non capta luxu vita superfluo,  
 Terrena non mens, Angelus, Angelus:  
 Sunt orbe, Littauisq; terris,  
 Qui superos deceant alumni.  
 Sed veris instar, vultus ubi illius  
 Affulsit, illum Patria diligit,  
 Illum senatus querit, illum  
 Fama vocat popularis aure.  
 Intrauit acrem iudicij domum,  
 Sententiarum triste senaculum,  
 Illamq; Maiestatis arcem,  
 Ingenij rapuit triumphis.  
 Vbi potentum longa negotia,  
 Diudicatâ lite coërcuit,  
 Artesq; dimouit, diesq;  
 Iustitia reditum morantes.

Cum omnia mortalia sint, ne a viris  
 Resp. destituatur, educatione iuuentu-  
 tem parandam esse, quæ decedenti-  
 um iacturam fartiat, & labe Pa-  
 triæ diluat.

**T**ot una gentes linea diuidit,  
 Suprema rerum linea maximas  
 Deleuit vrbes, nec POTENTVM  
 Tacta iugo neq; militum armis

B

Posse

Possedit eum: quærimus, heu pudor!  
 Nos sumptuosa vulgus inertia  
     Celare vitam; perdimusq;  
         Florem animi laribus paternis,  
 Mors & latentes inueniet domi;  
 Ad arma fortes, viuite Patria,  
     Artesq; MAIORVM iacentes,  
         Reddite consilijs & armis.  
 Quis Patria, ô te quis rapuit tibi?  
 In te quid ultra est, illius illius  
     Lituanie, que vixit olim  
         Ipsa suis opifex triumphis?  
 Maturior vis eripit, auxilio -  
 - Aptam Iuuentam; robore decidit  
     Flos omnis, exemplumq; tristi  
         Militie, iacuere fortes  
 Vix inchoato tramite glorie.  
 Nuper cadentem vidimus arbitra  
     Sub MORTE, SAPIEHAM; quis illo  
         Iudicio stetit absolutus,  
 Vel impetrauit Iustitium breue?  
 Omnes eodem trudemur; ut liber,  
     MORI STATVTVM est; una retro,  
         Fama breuem Dominum sequetur  
 Superstes cui. Restat honoribus  
 Aeterna virtus. Non ego te meis  
     Chartis inornatum tacebo,  
         Historijs, titulisq; magnum  
 SAPIEHA, si que est gratia carmini,  
 Diceris Orbi; spirat adhuc amor  
     Quem Patrie pectus recepit,  
         Forma animi generosa, spirat,  
 Dicenda Musis. Magnus habebitur  
 Quicumq; fastis te leget in suis,  
     Quem pacis expertes Polona,  
         Gottigena didicere nuper

Quid

4  
Quid Marte posses; P A T R E sub auspice  
Te digna tentas; dulce periculum est,

Intrare fastos inquieto

Sanguines vulnerebusq; pulchrum

Dixisse vixi. Prelia cum tibi

Magnus negaret consilio Parens,

Ad arma dicebas, A D A R M A

P A T R E fui genitus L E O N E.

Bellum secundâ quesijt alite

Romanus, alter signa Draconibus

Armauit, alter signa gallis,

Alter Amazonia securi:

N on signa gallis Patria reddidit,

Ad signa C O R V I N O S vocat oscines.

Bello Duces confederavit,

Alitibus cum A Q V I L I S, L E O N E S.

Vnita quid non restituerit mania?

Vtroq; fluxit Christophorus Duce;

Vtroq; descendit decorus

Sanguine, cum A L I T I B V S L E O N V M;

Spes ex vtroq; inceperat arduas

Coniuncta virtus. Copia fortibus

Est fama in armis. Hinc & inde - Ab

Hoste fluens reualefcit Echo.

O quidquid in se L echus habet viri

Vim de superbis non ferat hostibus,

Per arma, dotatam vel astris

Inueniet, vel honore mortem.

Hic mos decoris non fuit ensibus.

Furorne' nos, vel vis tenet acrior,

An culpa? Respondete fortes

Militie socij decusque.

Tacent! malorum celat originem

Indeprehensi carceris abdito,

Æterna Maiestas in omnem

Vindicijs abitura culpam

Tu Viue nasis Patria, ad optimam  
Te uerte frugem; tristitiam bono  
Compesce vultus; fac, vt omnis  
Christophorum tibi reddat Annus

## EX VNGVE LEONEM

**L**audata virtus si redit ad genus,  
Nomenq; riuo fons dat idoneum,  
SAPIEHA te magnum LEONEM  
Prodiderat generosus VNGVIS.

Ex illo & OMEN, Curia sumpserat,  
Et spem Senatus; semina gloriæ

Tam magna, tam paruis in annis,

CHRISTOPHORVM & Patriæ capacem

Sensere PATRES: Dixit & ARBITER

MONARCHA Regni; Quandoquidem tuam,

Præcedis etatem decoris

Officijs, & honor virentes

Præcedat annos; Curia te suis

Inuoluet actis, quem generis nitor,

Morumq; doctrineq; cultus,

Patriæ ad ingenium pararunt.

O quanta Patri gaudia publicis

Plausus ferebat! quantaq; reddidit

Admurmurando, Filius cum

Diceret in Patriæ Corona!

Circumsonabat murmur, & arbiter

Non nemo dixit: Quis PVER hic putas

Futurus olim, si iuuentæ

Est animi facies adulta?

Omnisq; in illo substitit omnium

Vultus; quis illam negligat Indolem,

Quæ cepit omnes? quis beato

Nolit ab ingenio morari?

Festina

5  
Festina laudum precipit arduos  
Virtus triumphos, nec senij moras  
Exspectat, eternas ab ipso  
Discit opes animumq; PATRE.

Rectè educatis moribus addidit  
REGINA laudem; Non similes ait  
Videntur ulli, qui potentem  
Tam bene continent Iuuentam.

CONSTANTIÆ vox ingenium probat  
Constantis eius conueniunt bene;  
CONSTANTIAM vitá secutus,  
Morte simul fuit insecutus.



C

NEMO

NEMO HUNC LACRYMIS  
DECOR ET

Qui de suo Magnus est,

CHRISTOPHORVS NICO.  
LAUS SAPIEHA

LEONE PATRE  
PALATINO VILNEN:  
M. D. L. EXERCITVVM  
SVMMO DVCE.

MATRE ELISABETHA  
RADIVILIA, PRINCIPE  
DE BIERZE ET DVBINKI

NATVS

*A Parentum moribus, clara enim initia, & indolem hausit.  
Ingenium illustre ijs studijs FVVENIS impendit, quibus  
firmior aduersus fortuita Remp. defenderet.*

STVDIOSVS

*Vniuersitates Vilnensem, & Louaniensem, ingenij admiratio-  
ne tenuit. Ius utrumq, & Philosophiam, ex eruditissimis  
Magistris, Bella ex Imperatoribus, Prudentiam Ciuilem ex  
summorum Principum consuetudine didicit.*

VNDE

# VNDE REDVCEM

*R*еспублика respexit, cum vires fortunaſq; animi, e proximo ostenderet; Par summis Reip: negotijs; ubi Conuentus aut Tribunalia poscerent, GRAVIS, INTENTVS & MAGNVS. ubi officijs factum satis, nulla POTESTATIS, tota HVMANITATIS Persona, omnium in se oculos, ac ora collegit. Et suspici a SENIORIBVS IUVENTAM suam cernens, salubri temperamento humanitatis, ac modestie imagine, VEL ABAT ANIMVM.

## VITA ILLI

*Omnibus simulachris emendatior, integritate mentis & corporis constitit. Dies abijt nunquam, qua non aliquid MANSVETVM, VTILE, PIVM faceret. In sacra, & aeterna, omnibus vite moribus incubuit. Omnes summorum hominum laudes breui indole comprehendens, in medio maximarum cogitationum vix OTIVM MORTI fecit; cum ADOLESCENTIAM multorum SENIO feliciorem deposuit.*

INGENTES SPES Patrie  
 VIVENS incepit.  
 MORIENS docuit.  
 Omnia Vite negotia esse

## CONCEPTVS INCHOATOS.



Ludens in

Orbe terrarum



Nulli Cedam

Dea  
Iustitiae  
e. s.

omnium



Nulli Cedam

Deus  
Termini  
nus

versatur una

# HOROLOGIVM VITAE

Illini. D. D. Chiff. Nic. SA  
 PIEHA Palatinid. Viln  
 MDLXII. NOTARII &c  
 VIGINTIQUATVOR. ANNIS  
 EVOLVTVM.  
 Illmo Dno D. Ioan. Stanislao  
 SAPIEHA  
 M. D. LXII. Supremo Marchalco  
 Fratri Superstiti  
 Successione debitum.  
 Sodalitas Parth. Annunt.  
 Alm. Vniu. Viln. Derulit



Nemo me Com  
duxit

Plantatio Dei  
estis



Absoluti

Diem



AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM,  
D. IOANNEM  
STANISLAVUM  
SAPIEN-  
TIAM  
M.D.L. MARSCHALCUM  
CAP. SŁONIMENSEM. &c.



Olem inter & hominem admirabilis quaedam consensus est, ut eius lucem, non tempora modo audiant, sed vita hominū. Dies enim omnino vita nostra est, horis, rebus, negotiis distincta; uultum solis Umbra sequimur; quid enim de toto quod uiuimus, praeter umbram tenemus? quae ad omnem Solis motum varia est. <sup>a</sup> Nihil immobile natura concepit, fortuna in nos ac aetas ludit, <sup>b</sup> Vitae nostrae cursum breuiter raptimque transimus, actuum quisque suorum sarcinas portantes. <sup>c</sup> Iter ergo ad mortem vita est; primo uiuendi puncto, impetum moriendi capimus, ut quiescentes elabi nobis ac fugere videamur, Solem & tempus secuti. Horologia ergo imitamur, quibus ad mobilem gnomonis umbram tempus caeli discitur. Vnumquemque nostrum non mutae caelorum lucis, sed vitae Horologium existimemus, quod actiones horasque omnes, recte collocat ac dirigit, ut cum celeritate temporis, utendi uelocitate certetur. Cuius generis exemplum nuper fuit CHRIS: NIC: SAPIEN-  
Fratertuus Illi Dñe; qui primo vitae apparatu, nullum non tempus, in usus suos contulit; omnes horas complectebatur, omnes pietate, variis vitae officiis & Reip. commodis occupabat; pauci igitur anni, nobiles in eo operas edidere; omnis eius labor, Coelum respexit. Magna mihi copia memorandi esset, quibus uirtutum ac vitae meritis in summam Reip. spem crescebat, nisi haec apud Fratrem dicere, in quem praclaris morum exemplis formabatur, quem vitae institutis praetulit; nihil in illo fuit, quod non ex te agnosceret; ad normam se animi, ac moderationis tuae conformauerat; cogitabatque quantum & tibi uiueret, & Patri; sed antequam felicitatem suam nosset ereptus est. Citauit eum repetundarum natura, quae prior ei vitam credidit, non litem intendit, acceptam retulit  
A  
volens,

Plin. lib. 2 c. 6

a Sen. Qua: natur.  
lib: 6

b Aug. l. 4 de Ciu.  
c. 5

c Sen: ad Polyb:

volens, quam non sentiens acceperat; reddidit animum meliorem quam acceperat. Longissimum illi ævum indolis eius fama promisit, cū maximis viris, quorum se ingenii, vel contulit, vel si hoc Verecundia eius recusat, applicuit; ad omnem quippe exterarum gentium prudentiam, & vsum, cui per tot annos insueverat, instituta patriæ assumens, sese Reip: parabat, in quam educabatur. Animum semper infixum in Patriæ charitate habebat, ex cuius læto aut deiecto vultu, suum sumebat; Cui omnia vitæ commoda, ipsam deniq; vitam addere optauerat, & si id Parentis voluntate licuisset, fecerat. Hunc ego Tite Livii, ætati illi iuuenem obiecissem, cum hæc de Patribus civitatis vestræ scriberes.

*Patres suarum rerum erant, amissâ publicâ.*

Felicem Remp. in quâ non Patres tantum, sed ne filii quidem suarum rerum sunt; qui ferè per Nomen obsidum, exterarum gentes armorum strepitu circumsonantes, propositis vitæ periculis adeunt, bella & castra ediscunt: omnes animi opes ac nervos, ad augendam Remp: conferunt. Talis CHRIST: NICOLAUS SAPIEHA Frater tuus, inusitata indole, mentem Reip. conuertit, & alacritatem attulit; talis ex Patre Exercituum Summo Duce rerū, ac militiæ momenta accepit; Mel ac deliciae Patriæ, summos & imos exspectatione tenuit. Dies publicis, noctes cœli negotiis, & animo dabat, verè Christophorus, verè adolelescens Nominis sui: Strenuè in id vnum intentus ne cui suarum noctiū ingenia innotescerent, quarum iacturam Divinæ Matri lubens faciebat.

Vnam vitabat Noctem, quæ falsis rerum imaginibus nullâ certâ spe, illudit animis; nihil in tanto rerum apparatu magnum & serium omnia Oculos imitari censebat; nihil in tã sūptuosa vanitate hominum præter nomen amabat. Agebat itaq; vtile tempori suo, q̄ dum tenetur, fugit, præsetè faceret, & adolescentiam ad seniū extenderet; cum in ipsa morte, Solis cum homine quendam concentum, amicitiam, & consensum expressit. Fatetur enim non nemo, primâ illa mundi infantia, Solem miserabili primi hominis lapsu afflictum, septies tantum lucis deposuisse, quantum interea portat; vt vel hoc luctu, amico homini consentiret. Hanc amicitiam Solis, CHRIST: NICOLAUS SAPIEHA Frater Tuus imitatus, ad Solis iter viam disposuit; diem Solis in horarum numero secutus, diem vitæ quatuor & viginti annis (felicem Noctem adstantibus precat) absoluit. Meminerat Solè aliquando ab Ægyptiis notatum, vbi nunc oritur, occidisse; prouincias ergo Occidenti Soli vicinas permensus, vbi ad Patrium Orientem rediit, Solis exemplo occidit.

Tem.

*Liv. lib: 3*

*Vanitas vitæ.*

*Viterb. 1: Pat: Chronis.*

*Herod. in Euter.*

9  
Temperandum esse Lacrymis ad fu-  
nera, virtutem a literis habere  
perennitatem.

**Q**ui tristes Elegos, & querimonias  
Mandato placidi ducit Apollinis,  
Ad sensum Cytharæ carmina diuidens  
Vates Christophorum vocat.

Nobis ille quidem flebilis, attamen  
Nulli flebilior quam tibi Patria,  
Cum desiderijs lesa potentibus

Queris Patria **FILIVM.**

Ceu mater teneram perdidit alitem,  
(Quem iunctis rapuit Corus Ethesijs,  
Iactaruntq; anime que mare temperant  
A dulci profugum domo)

Cum syluis queritur, pronocat aëra,  
Et questum fluuijs narrat inutilem,  
Dignatur sobolem talis amabilem  
Fletu querere Patria.

Fatum non oculis viuit & auribus;  
Cum Musis lacrymas funde canentibus,  
Seu cygni dederis ( si placuit ) sonum,  
Seu restudinis aureæ.

Certet per docilem gratia barbitum, &  
Collecto modulos dissipet aëre,  
Vocalis studii docta licentia,  
Surdus ludet in auribus

Cum dulci sonitu fata cœruit,  
Infregit digitos in cythare modum,  
Et solus cecinit, solus & Orphœus

EMIT CARMINE coniugem.

Ergo Christophorum ferreus abstulit  
Somnus, sed vario raptus ab otio,  
Et palmis potuit crescere, & hostibus,  
Auroram inter & Hesperum.

Non incerta loquor; si qua oculis fides,  
Victorem ex facie vidimus hostium,  
Sed cœli placito substitit, ardui  
Inter cepta negotij.

Qui ritus FLVVIS, mos & honoribus,  
Surgunt, & subito flamine decidunt,  
Erexit Patriæ spes, simul abdidit  
Et se composuit sibi.

O aulâ mediis sistar Olympiâ  
Cui voces solitum est, reddere septimas,  
Tam ehari capitis munera differam  
Cultor Pieridum; neq;  
Si Muse taceant, cum benè feceris  
Palmam sustuleris. Nam taciturnitas  
Inuoluit meritum: hinc, Vatis est honor  
Mentem marmoream gerunt.

Non est qualis erat, desinit imperio  
Exercere aciem; & nobilis, & decens  
Ad sidere Patri, & ducere copias.  
Cultu pulcher Achaico

Illum cum sonipes vendidit omnibus  
Ostenditq; viris, ex facili potens

10  
Sfiores ex Domino iure superbijt.  
Euinctis folijs Ducem.

Vidissent utinam secula cum Patre!  
Quem pulchra capitis condecorant niues.  
Et quæ vis animi, innata Leonibus  
Forti consilio assidet.

Puris vos similes Frater oloribus  
STANISLÆ cupit, te sibi posthumum  
(Et cæli placitum est, fata recedite.)  
Te seruare diu, & Patrem.

Tandem per lacrymas egeritur dolor,  
Et sese satiat; desine perpetis  
Tandem tristitia, desine pertinax  
Mortem sistere Lacrymis.

## DE VITÆ BREVITATE Nec iuuentuti fidendum esse

### I. VITA VMBRA.

**C**redite Romanum verè dixisse Pòetam,  
Nos ubi decidimus puluis & umbra sumus.  
Umbra repercusso cum reddimur obuia soli,  
Et non turbatis umbra videmur aquis.  
Flos Narcissus erat, sed cum se deperit undis,  
Umbra pro facie reddidit unda sibi.  
Quod NARCISSE vides, hoc est SAPIENHA, sed ille  
VMBRAM se ad FONTEM repperit, iste DOMI

### II. VITA TABVLA

**G**estit Amazoniâ latus intercludere parmâ  
Vita, sed è filis vita coacta suis.  
B

Seu tunicis adamantina gerat, sic cassida fronte,  
Fortior in telas ibit Arachna suas.  
Cum patrias Ciuis fortes laudabit Athenas,  
In TABVLA; dices, ingeniose Lacon.  
Fortis adhuc cui, medios SAPIEHA per annos  
Frangitur, in TABVLA fortis Et ille fuit.

III.

MORS LINEA.

Cui placet armatus Mauors, Acteaq; virgo,  
Et facies belli sanguinolenta notis.  
Erigat hic Martem, nec in Hectora stabit Achilles,  
Solutus Et in pugnas hostis inermis erit.  
Linea sola diem non vano finiet ictu,  
Christophori nuper finijt ista diem.  
Ecquid in arma viros, Et in hostes querimus arma?  
Debella nostrum linea sola caput.

IV.

STATVTVM MORI.

Svmma brevis vita spes nos vetat edere longas,  
Hora dedit, nostram perdit Et hora diem.  
Vellere Parcarum regimur, quodcumq; superba  
Constituere colus, solnimus atq; sumus.  
Pallida mors indiscreto ferit omnia telo,  
Non homicida tamen iure perire potest.  
Namque citata suo defenditur illa statuto, Et  
Jura nihil dicunt Iustiniane tua.



91  
SAGITTA SAPIEHANA.

Duplici Cruce insignita.

I.

**L** In ea Protogeni magnum laudavit Apellem  
Quae medias inter prodigiosa stetit.

Est, quae caelestem mundo fateatur Apellem,

Quae stetit, in ceris ducta Sagitta tuis.

O SAPIEHA! vides, tantum quo stemma triumphat,

Cui portat geminas ducta Sagitta cruces,

Vna triumphatis crux sufficit hostibus, et quos

Non vincet, gemina iuncta Sagitta cruce?

II.

**S**ubstitit aeternae Petrus pro limine Porte,

Cum secuit medium fixa Sagitta polum.

Tunc ait. En priscos reparat mentita Typhaeos

Fabula; quae caelum vis inimica ferit?

Mitis ad haec Petro sic reddidit ore Sagitta,

Est mihi per nostram, trames in astra crucem.

Acquiris superos unam cum Petre tulisses,

Non ego, quae geminam tollo Sagitta crucem?

III.

**F**orte serenati picto sub margine caeli,

Adfuit è patrio missa Sagitta solo.

Cumq; viam vellet, sed non via clausa pateret,

Est ait una mihi non bene clausa Via.

Dixit, & Heroum Christi latus accipit, illud

Quod pia Longini fregerat hasta latus.

Christe tui Lateris pulsabo Vulnus apertum,

Quod mihi pulsanti reddet in astra Viam.

Christe, polum soli pulsanti dicis apertum,

Sta Verbis, postes en ego pulso tuos.

IV.

**Q** Vis potuit Crucibus geminam sponsare sagittam?  
 Vnaq; sit gemina Vincita sagitta Cruci?  
 Non tam deuote veniunt incude sagitte,  
 Quas solidus Brontes, quasue Typhæus agit.  
 Cetera stant morti, restant tibi stemmata Christe,  
 Stemmata dilectæ, miq; tibiq; Cruces.  
 Vanum sit reliquis iactari stemmate, soli  
 Sed iactare mihi stemmata Nostra licet.

AD MAGNANIMAM IVENTVTEM  
 LITHVANAM.

Vita Trames Gloriæ.

Somnus euntis aui,  
 Et breuis cursus properantis super astra vita,  
 Nos monet inchoare  
 Spes breues, spes que deceant corporis inquilinum;  
 Quæ pereunte vitâ  
 Erigant cælo, & memorent omnibus orbe fastis.  
 Sic Iuuenis memento  
 Vltimam finire diem, conspicuam pudore.  
 Hâc vice gloriosi  
 Seculum accepere triumphi Iuuenum, vel a stris  
 Cognita Nicolai  
 Vita SAPIËHÆ: similes tu tibi pande laudes.



A D E S  
Spectator.

*Mors est quae de animis verum dicit,*

N O N H I C

*Palladiū Theodosij cursore quere, cui immensū illud Rom:  
Imp: spatium, tridui iter fuit:*

S E D Q U I

*Longa ac futura annorum spatia ante etatem  
præcucurrit,*

*Vitam ante mortem consummauit*

C V M

*Senilem iuuentam prematurâ morte  
deposuit*

CHRISTOPHORVS  
NICOLAVS SAPIEHA

*Nec enim senium expectauit, quod Adolescens  
præcerperat,*

*Laudatori & magno, & cum cura dicendus.*

*Si etatem spectes,*

*Breuis fuit.*

*Incipe illum Virtutibus estimare,*

*Sempiternus est.*

EX HOC

*Humane vite longitudinem addisces, in qua tantum.  
Sapientes laborarunt.*

*Amplissimum quippe Vite spatium est  
usq; ad Virtutem viuere.*

C

2302

TROPHEVM  
GLORIAE

Illustribus <sup>EX</sup> VITA Exultis  
Illmi Dñi. D. Christ. Nico. SAPIEHA  
Palatinid: Vilnen

M. D. Litu NOTARII  
Fraterna pietati Illmi. S. b.

CASIMIRI SAPIEHA Palatinid: Vil  
M. D. Litu NOTARII &c.  
ERECTVM

Per  
Annuntiatam Dnuæ Virginis  
SODALITATEM

Almæ Vniuersitatis Vilnen  
Sal<sup>o</sup> A. MDCXXXI

MVM DOMINVM.

MIRVM

HA

TARIVM

NIDAM

NSEM.

vel illâ ztate n...  
lis animus ingen...  
accensus, czlo pariter & Patriæ vitam composuit. Sed spes in ztatem  
differebat, quæ in alios annos egressæ Remp. implerent; nihil humile &  
caducum, omnia zternitati, quam vitæ propiora aggressus, capacem se Pa-  
triæ & famæ ostendit. Nouis itaq; Reip. beneficiis, locum meritis aperie-  
bat, vt dignitati & gloriæ, suâ industriâ, nullâ cuiusquam offensâ, pateret;  
adolescentiæ inprimis, cui nunc ab aliis nihil negatur, sese negauit. Spes  
in cum Reip: assurrexerant, quas repentinus morbus in metum, mors in  
dolorem mutauit: quæ, cogitationes eius, puncto temporis, cum animo,  
à corpore dissoluit; nec totus desiderium Patriæ impleuit, hoc solo lugen-  
dus, quod minimum vitæ ad res maximas assumpsit, quarum pondere, natu-  
ram, quæ necdum satis ad fortia sese durauerat, IMBECILLITATIS  
EXEMPLVM fecit. Animum illustre czelo spoliū intulit; TEMPORI,  
ne quod SPOLIUM deesset, vitæ fortunas impendit; quarum rem tenebat,  
vanitatem oderat. Quippe luxum istum fortunæ auersatus est, qui falsâ  
retum imagine, optimas mentes corrumpit: cui ætas nostra ita se dedit, vt  
hoc hominum morbo, bruta animantia laborent, quæ ornatum & pompam  
ex Dñis adsciscunt; imo prædia & agri, peregrinas segetes & cultum quem  
terræ ingenium ignorauit, pdocetur. Ita homines viuere nescirent, nisi a-  
rata ipsa luxum ediscerent: sed felicioris czli cultu translato, ager patrius  
in exilium missus. Hoc argumentum opum, hæc via ostentationi captatur,  
habere illa, quibus pretium faciat ipsa fragilitas; rara itaq; vitæ, plura for-  
tunarum exēpla, ætas nostra videt; cui exemplorum sterilitati CHRISTO-  
PHORVS NICOLAVS SAPIEHA Frater tuus Illust: Dñe, viuavirtutum  
imago subuenit, ex qua non adolescentes modo, sed omnis ætas vitam  
disceret

TROPHEVM  
GLORIAE

EX  
Illustribus VITAE EXUVIIS  
Illm<sup>i</sup> D<sup>ni</sup>. D. Christ. Nico. SAPIEHA  
Palatinid: Vilnen<sup>si</sup>.

M. D. Litu. NOTARII

*Fraterna pietati Illm<sup>i</sup>. Sm. b*

CASIMIRI SAPIEHA Palatinid: Viln<sup>si</sup>  
M. D. Litu. NOTARII & c.

ERECTVM

Per

Annuntiatam D<sup>nu</sup> & Virginis

SODALITATEM

Alm<sup>a</sup> Vniuersitatis Vilnen<sup>si</sup>

Sal<sup>u</sup> A<sup>o</sup>. M. D. C. XXXI

AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM.

D. CASIMIRVM

SAPIENHA

M. D. L. NOTARIVM

PALATINIDAM

VILNENSEM.



Oxne illa, an oraculum Aristotelis Stagyriz fuit, quæ hominem TEMPORIS SPOLIUM, IMBECILLITATIS EXEMPLVM definiuit? In mortalium omni numero nuper ostendit Frater tuus Illustrissime Dñe, quem Princeps Iuuentutis, Principem Iuuentutis amisisti. In quo ad summam indolem, & virtutem, nihil præter vitam desideramus. Primo ætatis tyrocinio viuudum animum ad magna contulit, inesse sibi elementa gloriæ,

vel illâ ætate ingenium ad egregia & seria adultum ostendit; cum iuuenilis animus ingenio & literis pro nucibus ludebat, & bonarum rerum gloriâ accensus, cælo pariter & Patriæ vitam composuit. Sed spes in ætatem differebat, quæ in alios annos egressæ Remp. implerent; nihil humile & caducum, omnia æternitati, quam vitæ propiora aggressus, capacem se Patriæ & famæ ostendit. Nouis itaq; Reip. beneficiis, locum meritis aperiebat, vt dignitati & gloriæ, suâ industriâ, nullâ cuiusquam offensâ, pateret; adolescentiæ inprimis, cui nunc ab aliis nihil negatur, sese negauit. Spes in eum Reip: assurrexerant, quas repentinus morbus in metum, mors in dolorem mutauit: quæ, cogitationes eius, puncto temporis, cum animo, à corpore dissoluit; nec totus desiderium Patriæ impleuit, hoc solo lugendus, quod minimum vitæ ad res maximas assumpsit, quarum pondere, naturam, quæ necdum satis ad fortia sese durauerat, IMBECILLITATIS EXEMPLVM fecit. Animum illustre cælo spoliium intulit; TEMPORINE quod SPOLIUM deesset, vitæ fortunas impendit; quarum rem tenebat, vanitatem oderat. Quippe luxum istum fortunæ auersatus est, qui falsâ rerum imagine, optimas mentes corrumpit: cui ætas nostra ita se dedit, vt hoc hominum morbo, bruta animantia laborent, quæ ornatum & pompam ex Dñis adfiscunt; imo prædia & agri, peregrinas segetes & cultum quem terræ ingenium ignorauit, pdocetur. Ita homines viuere nescirent, nisi aratra ipsa luxum ediscerent: sed felicioris cæli cultu translato, ager patrius in exilium missus. Hoc argumentum opum, hæc via ostentationi captatur, habere illa, quibus pretium faciat ipsa fragilitas; rara itaq; vitæ, plura fortunarum exēpla, ætas nostra videt; cui exemplorum sterilitati CHRISTOPHORVS NICOLAVS SAPIENHA Frater tuus Illust: Dñe, viuavirtutum imago subuenit, ex qua non adolescentes modo, sed omnis ætas vitam discret

A

duceret. Optimum te virtutis suæ hæredem fecit; nec illam vestram ad  
optima concordiam, & cohærentis studii ac moris vincula mors dissol-  
uit. Viuis superstes optimo Fratri, quem illa cælo adsciuit; conuersari a-  
nimo cum absente licet, & quidem quoties velis, & quam diu: videbis non  
multum esse, quod tibi de Fratre mors eripuit, dum vos animorum com-  
plexu (meliore parte hominis) tenetis, dum eius vitam breuiario quo-  
dam virtutis complexus, in tua refers, cuius præsidio, non tuo dolori tan-  
tum, sed Paterno sufficias, dum in tuo vultu viuentem Fratrem, ac te pos-  
sidebit. Nubilæ ergo menti vultum serenum induens, illos secutus, qui  
de gustato Sardorum graminum succo, in media morte rident, imitaberis  
**LÆTOS MÆRENTES.** In vita Fratris exemplum simul & solatium  
habet, qui periculosam militiam quieti commutauit: militia enim quæ-  
dam longa & varia, teste Epicteto, vita nostra est. Hæc militia cum Fra-  
ter tuus, teneros necdum consistentes annos fatigauisset, Magni  
Chrysofomi consilium audiuit, qui docet, arcum & Hominem  
quiete vegetari. Arcum itaq; vitæ miles, trophæo appen-  
dit, & se morte vegetauit.



ELE-

# ELEGIA I. TROPHÆVM SCIENTIÆ REI MILITARIS.

**M**agnum iter ascendis, sed dat tibi gloria vires,  
 Magna argumento facta Elegia tuo.  
 Hic tibi materiam video, dominumq̄ parari,  
 CHRISTOPHORVS docti cura doloris erit.  
 Maior erat Musis Tydides, maior Homero,  
 CHRISTOPHORVS non est oris Apollo tui.  
 Quem patrium nomen per auita trophæa decorum  
 Et per SAPIEHAS linea duxit Auos.  
 Altera Maternos dictavit fama triumphos  
 Quos Radiuileæ gentis origo canit.  
 Vtraq̄ lux generis sese collegit in vno  
 CHRISTOPHORO, titulum maior at ille suis  
 Implevit virtute genus, docuitq̄ iuuentam,  
 Posse etiam senio viuere quamq̄ suo:  
 Esse animum quem fama potest intrare Catonis,  
 Ingenioq̄ breui magna senectæ capi,  
 Atq̄ utinam virtus non vitam egressa fuisset,  
 Viueret in pulchra laurea nata manu.  
 Quam vigor ingentis vite promisit, & vnum  
 Optavit bellis gloria nacta Ducem.  
 Qualis erat, patriâ cum duceret arte cohortes,  
 Ingenioq̄ aciem fingeret ipse suo!  
 Ille animum potuit cunctantibus indere turmis,  
 Et faciem bello restituisse nouam.  
 Seu firmat dictis, reficitq̄ in prælia mentes,  
 Collectis animis concaluere viri.  
 Jam certamen erat mortis, iam vulnera querunt:  
 Pro Patria pudor est non potuisse mori.  
 Ipse subit, quo signa vocant, ubi pugna labore,  
 Terga ferocis equi fulminis instar agit.

Seu vellet frenare vias, seu fundere telum,  
 Imposuit telo vimq; modumq; suo.  
 Magnanimo suppletus equo seu praelia ludit,  
 E medio toties crescere visus equus.  
 De Patre bella suo traxit, pectusq; Leonis,  
 Pro Patriâ stat cum Patre **L E O N E** Leo.  
 Æmulus ingentem iam crescit pulcher in hostem,  
 Historiam gestis corrigit iste suis.  
 Nec spes longa fuit; summis deprênsus in actis  
 Cum prematuro funere raptus abit.  
 Spiritus Eurorum dubias cum ventilat herbas,  
 Plus timet à tanti flaminis ore rosa.  
 Que citò profecit maturis imbribus herba,  
 Floribus in medijs non diuturna fuit.  
 Paruo te vidit spatio Respublica, paruo.  
 Dilexit curas **CHRISTOPHORE** illa tuas.  
 Non tam nature vitio, non crimine morbi,  
 Vita, sed illustri fessa labore, cadit.  
 Vidi ego non paucos media perijsse iuuenta,  
 Optima mors, sancto que venit apta die.  
 Incertam frustra mortales querimus horam,  
 Inueniet, quâ sit mors aditura, viam.  
 Coniector dubiam Phœnix interrogat artem,  
 Que sit stella homini commoda, queue mala.  
 Cum celis loquitur, quando periturus, E à qua  
 Morte, nec ingenio sistere fata potest.  
 Omnibus ignota mortis timor; omnia migrant:  
 Mors etiam magnis urbibus una fuit.  
 Inunc tolle animos, E tecum finge triumphos,  
 Stantiaq; in plausus omnia regna tuos:  
 Totaq; squammato claudantur corpora ferro,  
 Inuenit E clausum mors inimica caput.  
 Non mille excubie, non te obfirmata iuuabunt.  
 Limina, habet rimas, mors subitura, suas.  
 Noli stemmatibus, noli confidere sceptris,  
 Viuimus in pulchris scena superba malis.

Mimus & Augustus vitæ est; si fabula vitæ est,  
Credite nulla diu fabula pondus habet.

# ELEGIA II. TROPHÆVM HVMANA- RVM ACTIONVM.

**E**Xuuias virtutis habes, iam contrabe lora,  
 Fortius, & gyro curre Thalia tuo.  
 Ne tibi tantarum veniant obliuia rerum,  
 Ornabit vestram splendida vita lyram.  
 Vita iacet. Mortis tetigit victoria crinem,  
 Accubat in paruo tanta ruina loco.  
 Illene consilio castrensibus utilis armis,  
 Ingenium cuius publica cura fuit,  
 Deposuit letam maturo stamine vitam?  
 Et desiderijs excitat astra suis?  
 Hinc sublime genus, titulisq; impleta potestas,  
 Hinc me laus animi, viuamq; forma rapit.  
 Odit Apollo chelyn, surdamq; auertitur aure,  
 Heu mihi quod nostro sum minor ore loqui!  
 Sed tamen hoc quicquid Musarum in pectore porto,  
 Fluxerit, hoc Iuueni seruiat omne meo.  
 Preside CHRISTOPHORO nunc ad sua deuehor acta,  
 Et velit ille Elegis equus adesse meis.  
 Prima illum tenero formauit Vilna lyceo,  
 Vilna, vel ingenio nota palastra suo.  
 Illum omnes aciuunt plausus, iuncteq; vicissim,  
 Pieriam Charites edocuere lyram.  
 Ipse Pater, sensus ipsi stupuere magistri,  
 Vix puer, ingenij cum documenta daret.  
 Jamq; animus tunc ipse breues excreuerat annos,  
 Moribus antiquis reddit imago Patrem.  
 Dat titulis exempla Pater, cognata ministrat  
 Laus animum, mentem prodidit ore calor.

A

Histo-

Historijs alij querunt exempla, ducesq̄,  
Tu puer ex tanto prelia disce Patre,  
Imperium mulcere togâ; te gloria bellis  
Educat, & paruus sanguis in arma calet.  
Qualis ad Oceanum, Lapitharum prelia ludit  
Instructus magna Thetios arte puer.  
Nec minor es studijs, Musam sua non capit etas,  
Fret in externas cum peregrina plagas.  
Seu velit in placitis animum seruare Platonis,  
Seu vacat ad leges Justiniane tuas:  
Vel sequitur studium lingue, Ciceronis & arma:  
Seu capitur libris Dardana Roma tuis,  
Cum spatia annorum, nec nostri temporis acta,  
Evoluit tacito sedulus ille sinu.  
Perpetui nusquam moritura volumina L iul,  
Paruus adhuc, Lechico fecerat ore loqui.  
Inde suis cepit naturam reddere causis,  
Quâ Deus hanc celi fecerit arte domum.  
Vnde auræ, nubesq̄ bibunt, quid sidera sudent,  
Vnde vago surgunt flumina nata salo.  
Quo venit exoriens, quo deficit àère Phœbus,  
Quisue alius nostro sub pede mundus eat.  
Quam fugiat, bellis teneatue exercitus horam,  
Quo laxanda acies, quouè ineunda modo.  
Sed que Ciuilem format Prudentia mentem,  
Ingenij palmas nobilioris habet.  
Creuerat ingenium magnis authoribus, vnus  
Es par discipulo tu Puteane tuo.  
Fas mihi sit Magni verbis dixisse Magistri,  
Non cepit soles vna palestra duos.  
Ceperat assurgens magnos intrare labores,  
Consilijsq̄ animum miscuit ille Patris.  
Illi nam genitor curarum asperrima suetus  
Credere, consilijs viderat esse parem.  
Mentem implere Patris, iussisq̄ ingentibus vnus  
Sufficit, ille vias digerit, ille viros.

Calluit, infesto quanam bona tempora Marti,  
 Qui potuit pulchris fraudibus esse locus.  
 CHRISTOPHORVS L ita uis iuga dicere commoda ca-  
 Que suspecta fides, quae uè tenenda foret. (Stris,  
 Redderet hic laudem Patrie, famamq; piaret,  
 Lechica iam Sueticum venderet hasta mare.  
 L eta debinc series, magnarum examine curarum  
 Auctas honos, sed qui est indole victus honos.  
 Rara quies animo, sed nunquam lesa potenti  
 Cura mero, magnis cura probata bonis.  
 Seu operam bellis fundaret, bella vigeant,  
 Sine foro, placat litibus omne forum.  
 O quoties PARTES ad publica commoda vertit,  
 Vtilitas sellis cesserat atq; foro.  
 Hoc quicumq; habuit iustam sub Iudice litem,  
 Causa triumphauit Iudice iusta suo.  
 Vela dabant Patres, & Princeps vela fauori,  
 Seq; dabant faciles, si voluisset, opes:  
 Parcit, & in pulchras humilem se colligit umbras,  
 Velorum plenos contrahit ipse sinus.  
 Et Patris, & fame vestigia iuncta tenebat,  
 Illa etatis erant vera trophaea sua.  
 Artifices digitos fictoris terra Promethei  
 Audiit, inq; hominum corpora transit humus.  
 O quid ni meliore luto, siue arte benignâ  
 CHRISTOPHORI vitam finxerat illa manus:  
 Corpora signauit, totâ nec vidit in arte,  
 Quam breuis est animo terra ligata suo.  
 Nunc maris in tantum fluctu iactamur, & ira,  
 Sorbet deceptam mors inopina ratem.  
 Turba cæduca sumus, fastis luctamur in euum,  
 Viuere post fatum litera sola dabit.  
 Ludimur heu! sponte & gemmis vincimur, & auro,  
 Et bibit argento diuite nostra sitis.  
 Jamq; Tyrus, caras secat & Sidonia rupes,  
 In nostras Rhodius depluit imber opes.

Terrarum census unâ consumere mensâ,  
Et gula iam totis sufficit una plagis.  
O utinam terris nemo esset diues, & ipsa  
Gramineo scirent regna sedere throno.  
Ludimur, & nunquam celo spectamur aperto,  
O liceat noctis deposuisse dolos!  
Nox ligat ad spectum, virtusq; ignoscit opacis,  
Scenaq; formosum quidlibet illa facit.  
Consule de studiis vita, de moribus auri,  
De mundi facie, corporibusq; diem.  
Vno tam varius natura vultus in orbe,  
Et brevis in vario vertitur orbe salus.  
Quid tibi mutatas gentes, & mortua regna  
Enumerem? casus equat arena meos.  
Aspice labentes specioso murmure riuos  
Quâ facie currunt flumina, vita fluit.  
Attollas mersum rebus caput, omnia terris  
Aut moritura vides, aut abitura vides.  
Insitio mors est, ut ramum ramus adoptat,  
Inseritur terra sic brevis arbor homo.  
Imus in aeternam fatis auctoribus horam,  
Dimittent Dominos, quos patiuntur opes.  
Quid cessuri aliis fundamus ciuibus urbem?  
Nec domus ereptum fixa sequetur herum.  
Quam melius Colchi, mutatoresq; domorum  
Sauromate faciunt, dum sua tecta vehunt.  
CHRISTOPHORVS nullo mores fundauit in auro,  
Quasq; tenebat opes, perdere sciuit opes.  
Ille breuem vitam fatis poscentibus addit,  
Fussus inoffensas morte recepit opes.  
Excreuit mensuram animus, nec se artubus ultra  
Continet; & fame plenus, & orbe fuit.  
Jamq; alios orbes, tenet altera filius astra,  
Vi Litano solus viuat in orbe Pater.  
Fas mihi sit venia magni dixisse Parentis;  
Non cepit soles vnica terra duos.

# ELEGIA III.


## TROPHÆVM CASTITATIS.

**F**lete meos casus elegi, dulcemq; iuuentam,  
 Et responsuras sollicitate fides.  
 Vos quoque magnanime Parnassia numina Musæ  
 Ferali teneras ungue notate genas.  
 Flebilis emeritos Elegeia solue capillos,  
 Et blaso reddas carmina vincula sono.  
 Docta loqui digitis, & funera dicere fletu,  
 Et lacrymas verbis reddere, verba lyre.  
 Ipse faue: tibi surgit opus, tibi carmina flebunt,  
**CHRISTOPHORE**, in magnis flos rediuiue rosæ.  
 Celestem nuper dum transfuga venit in hortum  
 Flos, Litauum liquit transfuga fortè solum.  
 Ille licet faciem nostris accomodet herbis,  
 Mortalemq; velit flos simulare rosam,  
 Proditur eterno flos immortalis odore,  
 Sumptaq; celestis detegit ora nitor.  
 Parce pio flori, seu tu campestria Tempe,  
 Seu colis umbrosi deuia montis, aper.  
 Ne tibi sit nostrum pessundare gloria florem,  
 Quid iuuat herbosam ledere dente dapem?  
 Quid iuuat in teneros effundere prælia flores,  
 Et malè deceptas exanimare rosas?  
 Heu doleo, nostrum querunt hæc funera florem,  
 Incolumem celis hunc mihi seruet amor.  
 Ferales illum cingunt indagine falces.  
 Opereant falces, deficientq; manus.  
 Heu! iacuit sacro flos interceptus in horto,  
 Accepit florem falx inimica pium.  
 Tam malè verna nouis expirat purpura pratis,  
 Offensisque iacent lilia victa Notis.

Tam malè mortales gemuère sub ictibus herbe,  
 Quas maga terribili subsecat ungue manus.  
 Tam malè cum fluiuos inuenit forte minores,  
 Secum captiuas Villia ducit aquas.  
 Flos S A P I E H A fuit, quem duplex purpura texit:  
 Vna pudoris erat, muricis una fuit.  
 Mendax fama fuit, spinis que contulit aulam,  
 Aula rosis mater sum pia facta meis:  
 Opportuna mihi est cunctis natura figuris,  
 In quamcunq; volet, deuehor aula rotam.  
 Fuerit in nostros cum sacra modestia vultus,  
 Furabis nostrâ sidera tacta manu.  
 Si datis arma aule, non arma in funera portat,  
 Seu pia sacra datis, tempore sacra placent.  
 Nunc bona, celestis faciem furabor amoris.  
 Nunc mala, sepositis moribus aula ruo.  
 Quidlibet est; sim spina rudis, sim scorpius aula,  
 Armabo sanctam spina seuera rosam.  
 Tali CHRISTOPHORVS nuper nutritur in aula,  
 Nutricem vicit qui pietate suam.  
 Non sibi Phæaces, si quas daret aula, probantur  
 Delicia, seu quas mensa ligurit opes.  
 VIRGO PATRONA suum florem celestibus undis  
 Educat, & talem fecerat aula rosam.  
 E spinis aule flos noster prodit, & omnes  
 E spinis nata nonne fuere rosa?  
 Pande tuas natura comas, & gratia flores,  
 Elige, seu mauius lilia, siue rosas.  
 Flos pius ausuros vocat in certamina flores,  
 Ille verecundas prouocat ore rosas.  
 Stet medio diues redolentibus area glebis,  
 Fundat odoratas pictus agellus opes:  
 Caltha suo, vel Thymbra suo se laudet in ore,  
 Factet delicias hortulus ipse suas.  
 Hortule victus eras; & te natura pudebit,  
 Inuidiâ tantam surripuisse rosam.

18

O te speramus MARIANO munere qualem  
 Hortule deliciis facte beate tuis?  
 Nil tibi terrenum, tota est celestis origo,  
 Quem vegetat sanctis VIRGO colona Notis.  
 Temporibus celo maturas colligit herbas,  
 Et tonsam raro pectine purgat humum.  
 Ipsa suas viuo plantas deponit in horto,  
 Ipsa trahit riuos, areolasque locat.  
 Talis in augusto felix Vertumnus Olympo,  
 Mille gerit facies, corpore mille typos  
 Tam varia VIRGO sese discernit in arte,  
 Inter plantatas, pulchrior vna rosas.  
 Sic ubi tranquillum viderunt sidera pontum.  
 Mentiturque alium lymphæ iocata polum,  
 Omnia clara nitent, sed clarior induit undam  
 Hesperus, & nullo vincitur igne poli.  
 Stat formosa seges pretiosi graminis, vni  
 Illa seges Domine subdita, & illa Deo.  
 Nec flos vllus erit pratis, quin ille decenter  
 Decerptus MARIÆ langueat ante manu.  
 Et fuit illa dies, quâ tu pulcherrima rerum,  
 Assumis florem VIRGO colona tuum.  
 Parcite, quos senium vulgo laudauit, & anni,  
 SAPIENTIÆ virtus contigit ante diem.  
 Ingenium celeste suis felicibus annis  
 Surgit, & oblate fert malè damna moræ.  
 Pugnât inæqualem contra fortissimus annum  
 Flos, viget in medijs solibus, inq̃ gelu.  
 Finis adest pugne: palmam date grata iuuentus,  
 Sertaque victuræ laurea ferte comæ.  
 Cernitis intactis, ut flos profecit in armis;  
 Inscribo folijs, VIRGO MAGISTRA fuit.



ELEGIA IV.  
TROPHÆVM VIRTVTVM  
HEROICARVM.

V Isa diu felix heroum Patria mater,  
Fam tibi non toto nomine fama venit.  
Gaudia fouisti, spem falsam Patria pone,  
Et de CHRISTOPHORO desine leta loqui.  
Occidit, exemplum iuuenis venerabile morum,  
Magnus & ille sago, magnus & arte toge.  
Vidimus exemplum Patrie, quid gloria posset,  
Ingenium rebus gloria nacta suis.  
Transsumpti celomores, & fortius annis  
Pectus erat, fama magna capaxque domus.  
Rebus par animus, contra sua secula rectus.  
Nec vitij potuit, nec patuisse dolis.  
Heu modo tantus, ubi es? cum te post fata requirit  
Patria, sic fatis illacrymata tuis.  
Nate breuis fructus, si quenuquam flere meorum  
Debeo, te Natum Patria flere tua.  
Non unus moreris, sunt in te fata bonorum;  
Omnis cui virtus contigit, unus eras.  
Spes quoque multorum terrâ clauduntur eadem:  
Ista humus afflictæ viscera Patris habet.  
Nec genitrice tuâ fecundior vlla parentum,  
Tot bona per Natum que dedit vna suum.  
Quis non inuenit paucis quod amaret in annis,  
Et tenuit vultu pendulus ora tuo?  
Clara regit sensus, euo rarissima nostro  
Simplicitas, proprijs viuere docta bonis.  
Cui nocuisse velis? seu ius habuisse nocendi?  
Nil in te famulos extimuisse tuos;  
Scilicet ingenium placidam deducis in artem,  
Ingenio mores conuenienter eunt.

Asperitate cares, positoque per omnia fastu,  
 Et decor, & lingue gratia viua tue.  
 Talis honoratam volucris Funonia formam  
 Explicat, & plumis picta superbit auis.  
 Seu miseris patrona reis facundia surgat,  
 Fngentis Patrie sine tribunal habet,  
 Judicij affectum, possessaq; pectora ducit,  
 Fnter collegas magna reperta tuos.  
 Si loqueris, mutæ gaudent te vindice leges,  
 Accepit latum vox animosa forum.  
 Fnt te oculos, auresque trahis, tua facta notamus,  
 Nec potuit dulcis Nestor in ore regi:  
 Altus eras, supraque tuos exurgis honores,  
 Et potes humanis altior esse malis.  
 Fnduit arma tibi genitor, belloque vocauit,  
 Stabar pro signis iusque decusque tuis.  
 Gotte dabis penas: Gryphes gaudente sepulti,  
 Littæua iam patrius vindicat arma LEO  
 Vrgentur Gotti, causâ vincentnr, & armis:  
 O desint voto ne mea verba suo!  
 Auspicijs annisque Patriis cum signa mouebis,  
 Pulcher eris palmis, auspicijsque Patriis  
 Teque rebellatrix d tandem Suecia cernam.  
 Triste caput Ducibus supposuisse meis,  
 Spiritus ille minax nostris fert colla catenis,  
 Adspiciam & seuis decidere ora minis.  
 Hos ego iam de te voluebam mente triumphos,  
 Et meus ante oculos iam mihi victor eras.  
 Sic veniet, sic me gratantem leta videbo,  
 Patria, cum os, oculosque illius ore premam.  
 Talis erit, sic occurret, sic pulcher ouabit,  
 Hoc mihi de bellis inferet ille suis.  
 Hec ego promisi; seu me tuus excitat ingens  
 Flle animus, seu me ludit imago mea.  
 Raptus es ante diem, cum te mea signa vocarent,  
 Vtilior Patrie quam tibi viuus eras.

D

Vidi-

Vidimus attonitum de pulchra morte Senatum,  
Vidimus & fatis illacrymasse tuis.  
Quis credet, tantum rerum cepisse tot annos,  
Quae poterant annos attenuare senum?  
Jam cinis es; de tam magno iam restat honore  
Nescio quid, quod vix continet urna brevis.  
Non omnis moreris; laudate gloria vite  
Te manet, & victos despicit una rogos.  
Hæc sublime feret, totumq; inuoluet in eum,  
Et dabit ingenijs carminibusq; loqui.  
Et cuiquam miserandus eris? te sospite, vestram  
CHRISTOPHORE in lacrymis dedecet esse domum.  
Terrarum, quascunque vident Occasus & Ortus,  
Sermo eris, historia parsque laborque mea.  
Hæc animo mensura tuo respondet; & hæc est  
Ad quam te Mater destino Nate tua.  
Hoc SAPIENA tibi damnor Lithuania voto,  
Ne modo sis Patrie tu immemor ipse tue.  
Denique te letum patrijs spectemus in astris,  
Hoc facta est mortis gratia viua tue.  
CHRISTOPHORI magna patuerunt sidera morti,  
Quam pingunt tacitis gaudia nata genis.  
Te moriens IESU per verba nouissima dicit,  
Est mota ad nomen frigida lingua tuum.  
Est etiam placuisse polo quecunque voluptas,  
Non interdicto cui licet orbe frui.



20  
MOMENTVM  
QVOD

Omnibus natura concessit  
ILLVSTRISSIMVS DOMINVS,  
D. CHRISTOPHORVS  
NICOLAVS SAPIEHA

genere illustravit,

vita, moribus, virtute,

extendit

I N Q V O

*Brevis etas* & *Adulta virtus,*  
*Aula* & *Pietas,*  
*Adolescentia* & *Integritas,*  
*Altum ingenium* & *Animi demissio,*  
*Fortuna* & *Constantia,*

*Summa imis  
dissentientia*

Consenserunt.

eius

Homines vocem, mores, orationem, vultum, incessumq; amabant,  
illi Tribunalibus totis, illi castris, ac foro plaudebatur.

*Magna ac aeterna parantem*

MOMENTVM

*vite destituit,*

& ad MONVMENTVM

*deduxit.*

Ora hospes, & lege tuum in alieno

MOMENTVM MONV-  
MENTO

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)

[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**